tum, à foca Cæſare, ſummis precibus contendiſſe, ac demum impetraſſe, donari ſibi templum Romæ, quod pantheon anteà, à priſcis diceretur, ueluti deorum omnium ſimulacrum: ut eliminata inde, omni demonum ſpurcitia, ſacra, ſanctaq;, ibi diuorum multitudo, à fidelibus haberetur: quanquàm hodiernæ celebritatis, euangelica lectio, ad apoſtolos, diſcipulosq;, Chriſtum, ſeruatorem noſtrum, uerba in monte feciſſe, ſatis admonet: ſatisq; nobis eſſe poterat: ſi de his tantùm apoſtolis, quos ſubinde Chriſtus beatos appellat, orationem hodie apud vos patres ſanctisſimi, loco, & ad audiendum ornatisſimo, & ad dicendum amplisſimo haberemus: uerùm enimuerò, cum is ſit perpetuus, inueteratusq;, plerisq; hominibus mos, ut ſaluberrima Chriſti præcepta, in alios reiiciant: laici, in clericos: clerici, in monachos: monachi, in Epiſcopos: inueniantq; ſemper, quod pretexant: pulchrumq; quibusdam eſſe videatur, ſi nil, cum Chriſti præceptis, commune habeant: Sed quò quisque, doctrinæ illius ſtudioſior fuerit, hoc cæteris contemptior habeatur: operæ prætium me facturum exiſtimaui, ſi oſtendero, Chriſtum, non ſolùm illis, quos tunc præſentes habuit apoſtolis, locutum fuiſſe: Sed planè, citra diſcrimen, uniuerſis: ut, quotquot chriſtianum nomen profitentur, cuncta ſibi dicta eſſe intelligant. Sed quoniam, cum apoſtolis, quorum vos patres ſanctisſimi, munere Epiſcopali, vices geritis: quoniam cum diſcipulis, quos præsbyteri iure referunt: Chriſto optimo maximo, res, tunc præcipuè, fuerit: non dubium eſt, ad nos quoq;, qui ſuperſtites ſumus, verba fieri: præſertim, cum illi, iam in portu nauigent, nullisq; ſæculi fluctibus iactentur, nullis periculis verſentur, nullis vitæ huius difficultatibus implicentur. Cùm omnia igitur (auctore Paulo) ad noſtram doctrinam ſcripta ſint: omnia à Chriſto dicta, factaq;, in noſtram gratiam dicta, factaq; eſſe credamus: nobis Chriſtum in apoſtolis, diſcipulisq; loqui, hodierno die, non ſolùm fingamus, ſed perſuaſiſſimum habeamus neceſſe eſt. Id quod, dum annuente deo, diuisq; omnibus, efficere conor: uos patres ſanctisſimi, etiam, atq; etiam, oratos velim: ut, qua ſoletis humanitate, ac beneuolentia, in veſtro omnium conſpectu dicentem, proſequamini. Beatos itaq;, eos Chriſtus appellat, qui ipſius nomine, perſecutio-

nem patiantur: Cùm inquit: Beati, qui persecutionem patiun-tur. Qua in re, plurimùm obseruandum censeo: ueram pietatem, non nisi difficultate, afflictioneq; multa; probari. Nec enim virtus existimanda est, quæ afflictionis oneri succumbat. Nec vsquàm manifestius, intimiusq; perspicere possumus, quales intus, & in cute simus, quàm ipso tentationis articulo. Quis enim vnquam persuasum habuisset, tam infirmum, tamq; imbecillem, Petrum futurum fuisse: nisi huius rei tentatio ipsa, periculum, experimentumq; fecisset? verum tamen, quamuis graue admodùm sit, persecutionem pati: quamuis molestum sit, rerum temporalium iacturam facere: grauius tamen multo est, probra, conuitia, citra commeritum pati. Sunt enim, qui rei familiaris damna, corporisq; cruciatus, æquo animo perferant: Sed cùm ad contumelias, ad opprobria ventum est: usque adeò deuicti labascunt: vt multi citius sibi ipsis mortem conciscant: quàm aliorum iniurias, ac probra ferre, cogantur. Cuius rei, appertissimum nobis argumentum esse potest, Iobus ille patientissimus: qui, quamuis multas, easdemq; grauissimas calamitates sustineret: tunc tamen, maximè omnium turbabatur: cùm exprobrarent ei amici, quòd propter commissa scelera, tam dura pateretur. Nemo enim, facilè tolerat famæ suæ labem, præter dignitatem, meritumq; aspergi. Nemo est, qui in vindictæ cupiditatem non exardescat, attrocibus lacessitus conuitiis. Hoc tamen mundi ingenium est, vt non desistat, viros bonos persequi: grauissima crimina, sed falsa, ac ficta, illis obtendere. Sic Christo, calumniam pretexere, arbitrabantur iudæi: si vel leuissimo argumento, ostenderent, ipsum prohibere, tributa dari Cæsari. Sic olim Stephanum insimulabant aduersarii, dicentes: hic homo, non cessat loqui, uerba blasphemiæ. Sic lacessebant Paulum: hic est homo ille, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbiq; docet, & græcos induxit in templum, profanauitq; locum sanctum hunc. Sic posteà christiani homines, tanquàm seductores ac seditiosi, à principibus sæculi huius, in exilium passim relegabantur: aut capitis supplicio plectebantur, spectaculum mundo facti. Hæc preuidens Christus, suos, ad huiusmodi patienter toleranda, hortatur, inquiens; Beati estis, cùm maledixerint vobis homines:

& persecuti nos fuerint; & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, propter me. Quasi diceret: hæc estimate bona, quæ mundo uidentur mala. Beatitudinis symbolum existimate: si æquo à vobis animo, excipiantur: quæ mundus, longè aliter iudicans, putat esse mala. verè uos, saltem spe, beatos esse, credite (etsi diuersum vobis videatur) cùm, quæ mundus tristia, aduersaq; iudicat, atq; vocat: nomine meo, libenter toleratis. Nam, qua ratione fieri potest, ut beatiores simus, quàm, si innocentiam complectamur? si pietatem, iustitiam, ueritatem, deumq; ipsum possideamus? sic philippensibus, loco fælicitatis posuit paulus, quòd nimium aduersa, pro Christo paterentur, cùm ait: vobis datum est, non solùm vt credatis: Sed & patiamini pro Christo: perinde acsi, magnum aliquod, atq; insigne bonum, in malorum tolerantia, essent assecuti: quasi preciosum margaritum, in afflictionum agro abstrusum, ac reconditum, patientiæ opera, atq; industria, eruissent: quanquàm non omnes, quibus maledicta, probraq; ingeruntur, continuò beati dicendi sunt. Etenim sunt, quibus, ab omnibus maledicitur, quibusq; homines mala imprecantur: Sed suo ipsorum vitio, atq; culpa, non propter deum: nec enim persecutionem pati, laudabile semper est: iis præsertim, qui usq; adeò immites, rigidos, seueros, inhumanosq;, sese erga alios, præcipuè pauperes, exhibent: vt non immeritò, apud omnes, male audiant: nec temerè ab omnibus, odio habeantur. Sic enim viuunt, ut nil cum virtutibus commune habeant. Sic inter homines versantur: vt nil, in illis, æqui, conspici: nil in ipsis boni, posse esse videatur. Hoc indicat nobis petrus ille, apostolorum facile princeps, cum ait: Nemo uestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat. Ad consolationem autem piorum subdit: tempus est, vt iudicinm incipiat à domo dei. Si autem primum, à nobis, quis finis eorum, qui non credunt dei Euangelio? Etsi iustus quidem, vix saluabitur: impius, & peccator, vbi parebunt? Itaq;, & hi qui patiuntur secundum voluntatem dei, fideli creatori commendent animas suas, in bene factis. Significat nimirum, imminere nunc iudicium dei, sanctis hominibus: impios uerò, in aliud iudicium asseruari, reiiciq; in æter-

num supplicium damnandos. Patiuntur siquidem & impii, sæpissimè, nimium aduersa: Sed non cedunt illis, in id fælicitatis præmium, quod Christus his pollicetur: qui ob sacrum, vereq; gloriosum ipsius nomen, se illudi, contemniq; sustinent: quoniam, non ad dei optimi maximi laudem, & gloriam: Sed ad suam vanam quidem illam, futilem, ac momentaneam, referunt. Quis Licurgii, Lacædemonii, patientiam non admiretur? qui à ciue quodam iuuene, altero oculorum orbatus, à populo extractum: vt quo liberet modo, puniret. Id quod, minimè fecit: Sed optime institutum, boniq; viri moribus preditum, in theatrum produxit: Lacædemoniisq; admirantibus dixit: istum uirum, ante hàc iniurium, ac violentum, qualem à vobis accepi: iam frugi, ac popularem restituo. Quis non miretur Pittacum? qui cum potestatem haberet puniendi quempiam, qui contumeliosus in ipsum extiterat: liberum abire permisit, inquiens: venia, vltione melior est. Illa nanq; mitis est ingenii: hæc, ferini. Quid referam Dionem accademicum? qui cum ipsum maledicus insectaretur: nullas non blasphemias, in eum eructans, & probra iactans, tacebat omnino. Cumq; ingressuro iam domum, conuiuator ille diceret: nil respondes? ait Dion, nihil quidem. Sed quoniam non propter deum hæc patiebantur: nulla manent ipsos, apud deum præmia. Sed ne aliena exempla petamus: cum abundè nobis supersint nostra: quanta passus est egyptius ille rex pharao? sursum deorsum adeò iactatus: tot plagis cæsus: tot rebus aduersis impetitus: tot calamitatibus exagitatus? verum, quoniam non sponte sua, nec ob gloriosum dei nomen, sed ut coeco, obduratoq; animo satisfaceret suo, huiusmodi passus est: non solum non est apud deum beatus: sed in exemplum, vniuerso orbi, productus, eorum, qui suppliciorum telam, ab hac vita ordiuntur, futuro sæculo, apud inferos, perpetuò texendam. Quanta, antiochus ille, in deum, & in hierosolymitanum templum, blasphemus, passus est? qui vermium morsibus exhaustus, miserrimè omnium, vitam finiuit? qui, ne viuus quidem, à suo ipsius exercitu, præ grauissimo totius corporis fetore, ferri potuerit? quanta deniq;, herodes ille, dei potius, quàm hominis verba, iactans? cæterum, quoniam hæc, non propter deum (nec immeritò) sed ob ingentia crimina, in-

auditamq; blasphemiam, patiebantur: non solum, non sunt apud deum beati: Sed, nec pœnitentiæ locum, apud ipsum inuenisse, creduntur. Vos tamen patres amplissimi, quum certa, gaudii, & exultationis, promissio, apud deum manet: gaudete, & exultate. Nam quò magis, aduersarii uestri, hostesq; Ecclesiæ, hæretici, aduersus vos, sæuierint: quanto maiora mala, ab ipsis, vobis fuerint illata: tanto ampliora bona, cedent vobis in præmium. Quanto plura, ab illis, fuerint vobis, irrogata damna: hòc copiosiora, contingent uobis lucra. Quo grauiora, fuerint ab illis, falsò, vobis intentata crimina: hòc magis vertentur vobis in gloriam: non solum apud deum, cui placuisse abundè satis erat: sed apud mortaleis ipsos, immortalis uobis reponetur laus, & gloria: quanquàm non admodum soliciti deberent esse, probi, sanctiq; Episcopi, quales ab hominibus iudicarentur, aut ab humano die: sed de hoc; maximè anxii: si nemini sint offendiculo: si omnibus prodesse studeant: si aliorum iniurias, probra, contumelias, æquo animo ferant. Hic Christianorum hominum scopus: hoc, passim, optimorum præsulum, deberet esse studium: quamuis, sublimem hanc, heroicamq; patientiæ vim, non omnes præstare possunt, nisi qui per gradus quosdam, in dies proficientes, eò peruenerint, vt culmen perfectæ virtutis attigerint: qui timorem animi abiecerint: qui vindictæ cupiditatem neglexerint. Si cogitent sese peregrinos esse: si nil sitiant, nisi iustitiam: si malis omnibus, succurrere studeant: si cor habeant, non aliò spectans: nec aliò, quàm deo se oblectans: si pacem colant: si pauperum, quo ad eius fieri potest, rationem habeant: tunc demum præstabunt, quæ nulli alii, sibi tutò polliceri possunt. Quæ, ne difficilia admodum, & grauia, sed factu facilia, vobis videantur: ad memoriam reuocate eum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta: alta mente retinete eum, qui talē sustinuit, à peccatoribus aduersus semetipsum, contradictionem: ut non fatigemini animis vestris, deficientes. Nondum enim, vsq; ad sanguinem restitistis. Multa, satis opportunè, reformationis capita, à vobis edita sunt, patres sanctissimi: Multa, nouandæ vitæ, documenta, tradita: sicuti, præclara quidem illa: sapientissimeq; (sicuti omnia) à vobis disposita: calamitosisq; his temporibus, summo opere

necessaria. Quod si, propter hæc, inuulganda plebi, ecclesiisq; vestris, sæpius inculcanda, contumeliam, aut iniuriam patiami/ni: beati nimirum estis: quanquàm non tam externa hæc viuen/di ratio: non tam humanarum legum æquitas: non tam benefi/ciorum, ecclesiasticorumq; redditüum moderatio: quàm interi oris hominis nostri institutio, à nobis exigitur. Intima nostra scrutatur deus: secreta cordium nostrorum iudicat: horum est ille vindex, & arbiter: nec patitur, se, verbis tantum, à nobis coli: nec libenter fert, corda nostra, ab ipso, (nisi magno nostrò malo) longissimè abesse: vt nil, impræsentiarum, nobis magis verendum sit: quàm ne meritò, de nobis pronunciet: Hic po/pulus, labiis me honorat: Cor aut eorum, longè est à me. Hoc efflagitat à vobis vniuersus orbis, patres sanctissimi: hoc tota christiana respublica, à vobis postulat: persuasumq; habet, longè vigilantiores, posthac, visuram se, pastores: alios prestola/tur presbyteros: alios expec[illegible] doctores: alios monachos: ali/os, post tanti Concilii euo[illegible]tionem, mores: aliam demum vi/tam, postulat. Sed, quid non dicent? quid, non facient, aduer/sarii nostri: vbi omnia, secus atq; ipsi putabant, contingere vi/derint? quid non de nobis obmurmurabunt? quid non de nobis obloquentur, hostes nostri: si in eadem hærere, malè actæ vitæ, salebra: si in eodem viderint nos versari luto? impostores certè nos compellabunt: non bonarum legum conditores: non opti/morum, emendatissimorumq; morum, seueros instauratores. Nil minus, apud ipsos, (vt sunt, rerum omnium, corruptissi/mi iudices) futuri sumus: nil minus audituri, (adeò deploratis/sima maledicentia laborant) quàm, sicophantæ: quàm, profu/sissimi nepotes: quàm, maximi nebulones. Quos, etsi prætex/tu aliquo, fallere, facilè nobis esse putemus: deum tamen, qua ratione possumus: qui nec quempiam fallere: nec à quoquam se falli patiatur? & quanquam certò scio, non defuturam illis (quidquid, vos patres sanctissimi, piè, & sanctè decreueritis) malè sentiendi, iudicandiq;, etsi, minimè à vobis oblatam occa/sionem, ab illis tamen, vltrò susceptam. Ne illorum, de his, ve/rum iudicium sit: in vestra situm est potestate. Estimate vos patres sanctissimi, non iniuria, à Christo optimo maximo, sa/lem vocari: quo, ne totus orbis computrescat, saliri oporteat:

vt na

vtnatu... ...s perpendentes, qui citra suiipsius iacturam, atq; exinanitionem, salire non possit: in animum inducatis, citra corporis, vitæq; vestræ discrimen, munia vestra, bene, beateq;, (vt optimos præsules decet) obire non posse. Estimate vos lucem esse: qua, vniuersus orbis, videre habeat. Quæ, si, sub modio priuati cōmodi, aut voluptatis, aut erroris (quod absit) extincta fuerit: totus mundus, micabit in tenebris. Estimate vos ciuitatem esse, supra montem positam. Cogitate, vos, ob oculos omnium positos: in conspectu omnium versari: ab omnibus videri. Putate, omnes vitæ vestræ rationes, cunctis hominibus patere: vos, omnes spectare: vt, ad vitæ, consuetudinisq; vestræ, normam, mores componant suos: vitamq; instituant. Quæ cùm ita sint: optimè sanè, institutis vestris sanctissimis, præcauistis: ne eodem, quò hactenus, decursu, ouibus, fidei vestræ commissis, omnia contingerent: ne ob eam causam experiremini, deum magis vobis iratū: hostes Ecclesiæ, inimicosq; crucis, deterius irritatos: populos, ad defectionē prouocatos: rempublicam christianam, magis, magisq; indies labefactatam. Reliquum igitur est, patres amplissimi, vti detis operam, vt vestra hæc reformatio (quæ nil minus, quàm fictitia, aut cerusata, sed vera, syncera, nimiumq; elaborata est) debitæ executioni mandetur. Nec enim, ex dignitate, tantæ, tam sanctæq; Synodi: nec ex decore amplissimi, cæleberrimiq; conuentus huius vestri, esse puto (patres amplissimi) vt sanctissima, obseruationeq; dignissima, à vobis instituta ædantur: quæ ad praxim, industria, operaq; vestra, minimè deducentur. At cōsultius, multoq; magis è re, fore existimauerim: nullas nouas leges, à vobis cōdi: rigoremq; Ecclesiasticæ disciplinæ, è tenebris, in lucem, sacrosancto Concilio hoc, nullatenus vindicari: si statim, vt in medium prodierint: in angulum, tineis, aut arachneis, corrodendæ: aut, longa temporis obliuione atterendæ, coniiciantur. Nam, quorsum attinet, tanto (trium fermè annorum, curriculo) labore, uos confecisse: tantaq; solicitudine condendarum legum, diu, noctuq;, vos discruciasse: si nullus inde, non dico colligendus, sed nec omnino expectandus esset fructus? quāto satius erat, tanto vos onere leuasse? tot molestiis liberasse? tot, tantisq; sumptibus, pepercisse? ab ecclesiis uestris, tanto cū rerū discrimine, nō tribus hebdomadis, vti sacra decernunt concilia:

ſed tribus, iam fermè annis, minimè abfuiſſe? ou[illegible] dei veſtræ commisſis, nullatione defuiſſe? quàm oleum (quod aiunt) & operam, nouandis, fruſtraq; ferendis legibus, perdidiſſe? grauius enim ceſſatum eſſe ab iis, qui viam, quam, poſt maximos errores, inuenerint, ingredi neglexerint: aut lucem, poſt denſisſimas tenebras adeptam, amplecti, ſequiq; contempſerint: quàm ab illis, qui, nec viam nouerint, nec lucem ſint aſſecuti. Quis (niſi non ſatis, ſanæ mentis, minusq; integri iudicii fuerit) non intelligit? cum pasſim veritas clamet: ſi non veniſſem, locutusq; eis non fuiſſem, peccatum non haberent: ſacerq; apoſtolus Petrus, inculcet: Melius erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ: quàm, poſt agnitionem, retrorſum conuerti ab eò, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim illis, illud ueri prouerbii: canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro luti. Nemo itaq; veſtrum, ſibi perſuadeat, à labore frequentium congregationum, ad quietem euocari: nullus poſt tot concilii moleſtias: poſt bellum, cum hoſtibus fidei, ſuſceptū: pacem, ſecuritatemq; ſibi polliceatur. Nouæ uobis nunc imminent curæ: nouæ ſolicitudines: noui adeundi labores: ſanctioris vitæ, ineundæ rationes. Danda vobis opera, vti nunc denuo, diligentius uinea domini excolatur, fodiatur, putetur, ſepiatur: nec patiamini illam, rurſus, in conculcationem prorſus, & direptionem dari: quam plantauit diuinus ille agricola: quam ex egypto tranſtulit, duxq; itineris fuit in conſpectu eius: quæ impleuit terram: operuit montes, vmbra eius: & arbuſta eius, cedros dei. Extendit palmites ſuos, vsq; ad mare: & vsq; ad flumen, propagines eius. Vtquid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam, omnes, qui pretergrediuntur uiam? exterminàuit eam, aper de ſilua: & ſingularis ferus (lutherus ſcilicet, Caluinus, Brentius, Buccerus, & ſui ſimiles, eiusdemq; farinæ ſodales) depaſtus, eſt eam. Ad hanc excolendam, vocati eſtis, patres ſanctisſimi: hanc tuendam, defendendamq;, aduerſus omnes mundi conatus, ſuſcepiſtis: quamuis non ſine maximo dei beneficio, reges, ac imperatores, reliquiq; europæ præcipui principes, intra religionis chriſtianæ repagula, & catholicæ eccleſiæ ſepta, continentur: nec eſt, quod ipſorum ſceptra, faſcesq; timeatis. Id quod, nunquam, conſtantisſimis illis, baſilio, atha-

culi illius priscis patribus, animos fregit. ... nos, non solùm vobis propitios, & ad reli- ... sed libertatis christianæ vindices, atq; asser- tores. Non est, quod ab officio vestro deterreamini: quibus, non tam negocium sit, cum tigribus, ac leonibus: quàm, cum paruulis quibusdam vulpibus: quas, ne vineam domini demo- liantur, facilè vobis erit, canum latratibus, à vinea domini sa- baoth, abigere: aut, adhibita optima sepe, procul arcere: aut, artificiosis laqueis, intercipere. Cum monstris his, cum uitiis, vitiosisq; hominibus, suscepta uobis lis est. Qui, vbi, insigni- um virtutum vestrarum, vexilla erecta uiderint: paruo nego- cio, manus vobis vinctas dabunt. Audendum igitur vobis est: audaciam inde prodire oportet, ignauia vnde prodierat. Aude- te itaque, & ornati virtute, estote, patres sanctissimi: audentes enim, pater cœlestis iuuat. Nec enim fieri potest, quin, ubi vide- rint, probi homines, opera uestra bona: glorificent patrem vestrũ, qui in cœlis est. Imitamini sedulos agricolas: qui, cum iam stirpi- bus, sentibusq;, agrum, bene, omnem, purgauerint: tum demum, sementem ipsam, aggrediuntur. Ita nimirum Episcopi debent: Cum iam, rerum omnium sordidarum cupiditatem, atq; intem- perantiam, ex animis procul subditorum eiecerint: cæterasq; huiusmodi affectus, ferro, atq; igni, variaq; [illegible] ma- chinatione, persecuti fuerint: tum demum, purgatis animis, ve- ræ sapientiæ semina, excipere oportet: vt nulla pullulantium cupiditatum, quasi spinarum commixtione suffocata, ad ipsam beatitudinis frugem perueniant. Diligentius itaq; multo, inui- gilandum nunc vobis est, patres sanctissimi: plures, post tan- tam dogmatum, reformationumq; discussionem, habendæ, ad plebem, fidei vestræ commissam, conciones: frequentiora Ec- clesiasticæ disciplinæ monita: plura, melioris vitæ vestræ, exhi- benda exempla: crebrius nunc, pænitentiæ, eleemosinæq;, exer- cenda vobis sunt opera: vt ad exemplar, ac prototypum, con- monstratum sibi in monte, totus formetur: totus instituatur, populus. Adnitendum igitur vobis est, patres sanctissimi: vt vestra potissimum doctrina, ac vitæ sanctimonia, omnes, cuiuscu- uis generis, Christiani, induamur, sicuti electi dei sancti, visce- ra misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, pa-

tientiam: supportantes inuicem, & donar
sicut & dominus donauit nobis. Super omi
tem habeamus: quod est vinculum perfectio

vt non solùm vos, beatos appellet: summisq; laudibus efferat, pater ille coelestis: sed ciuica etiam donet corona, quòd non credito vobis talento, doctrinæ, & donorum, vim coelo, cum primis, ausi fuistis inferre: illos contra, coelestis arcis deturbabit ingressu: qui nil præclarum, nil nisi humile, & timidum cogitantes, concreditum sibi talentum, in terram abdiderunt. Nec enim verendum est, vt perpetuò irascatur nobis deus. Nunquid in æternum proiicies, optime deus? nunquid non appones, vt complacitior sis adhuc? aut in finem, misericordiam tuam abscides, à generatione, in generationem? aut obliuisceris misereri deus? aut continebis in ira tua, misericordias tuas? Non vtiq; domine: sed dabis his quoq; finem: efficiesq;, vt sit alia facies Ecclesiæ tuæ. Fauebis conatibus nostris: dum pro virili adnitimur: dum abs te summis votis contendimus: dum toti in hoc sumus, vt non tam nostri, quàm gloriosi nominis tui, ab omnibus passim, ratio habeatur: dum certam concipimus spem, futurum, vt largiente bonitate tua, cum nimiùm aduersa, pro nomine tuo toleramus, cuncta nobis, ex animi senten[illegible], foeliciterq; cedant.

[illegible] D. I X I.

*BRIXIAE apud Ludouicum Sabiensem.*

